



**Ioannis Can||tacvzeni Constantinopo-||litani Regis Contra
Mahometicam || fidem Christiana & orthodoxa assertio**

Johannes

Basileae, 1543

VD16 VD16 J 376

Alcorani, Id Est Legis Per Mahometem Latae Capita, Qvae Prima oratione
confutantur, sunt hæc.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98189](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98189)

ALCORANI, ID EST LEGIS PER

MAHOMETEM LATAE CAPITA, QVAE PRIMA oratione consulantur, sunt haec.

Quod Mahomet tempore epilepsiae, cum spumans hinc inde uolueretur, dixerit sibi archangelum Gabrielem se conuenientem uidisse. 1
Quod librum conscripserit, Arabice Corran dictum, Graece uero, legem Dei salutiferam. 2

Quod prophetam Dei & apostolum se nominauerit. 3

Quod Mosaica, Psalterium & prophetica scripta, iusta, sancta & uera nominauerit, praecipue uero Euangelium confessus sit iustum, sanctum, rectum, uerum & perfectum esse, & (utin capite Iona reperitur) Dei commendationes uocauerit. 4

Quod non à Mahomete solo, sed etiam ab alijs lex illa lata sit. 5

Quod à Mahomete promulgata lex ore ad aures à diabolo lata sit. 6

Quod quidam dignitate Chalibas existens, id est summus doctor, religionem Christianam receperit. 7

Quod Mahomet cum in haereticos quosdam Nestorianos & Arrianos, quin etiam Iudaeos aliquos incidisset, omnem horum maliciam collegerit. 8

Quod iactabundus de se dixerit: Si omnes homines conueniant, omnes spiritus & angeli, non poterunt Alcorranum meo similem constituere. 9

Quod in fastigio dexteræ partis throni diuini Mahometis nomen inscriptum sit. 10

Quod legem non per miracula daturus uenerit, sed per gladium: et quod non credentibus illi, aut mortis supplicium ferendum, aut tributa pendenda sint. 11

Quod interdixerit, ne quis suæ sectæ uel ordinis cum aliquo Christianorum disputer. 12

Quod Noë & Abraham, ipsi denique apostoli, eiusdem quam ipse postea promulgauit doctrinæ sectatores fuerint. 13

ORATIONIS II. CAPITA.

Quod ea quæ in Mosaicis præceptis, prophetis, psalterio & Euangelio continentur, sancta, iusta & Dei traditiones nominet, amplectatur & obseruet: quodque illius sectatores non sint, qui hæc non impleuerint. 1

Quod legis suæ sectatores in partes septuaginta tres sint diuidendi, quarum unica sola sit saluanda, reliquas uero igni tradendas fore. 2

Quod nisi à Deo esset Alcorran, multa in eo essent sibi inuicem contraria. 3

Quod cum Gabriele ad Deum ascendens, in angelum inciderit decies milenis uicibus maiorem toto mundo, desilentem peccata sua: qui sua ipsius intercessione ueniam apud Deum impetrauerit. 4

Quod ipse scopus & sigillum sit prophetarum. 5

Quod rapinas, cædes & periuria prohibeat, eademque rursus permittat. 6

Quod

- 7 Quod Deus illi permiserit peierare.
- 8 Quod Deus secum collocutus, dixerit se lusus gratia mundum condidisse.
- 9 Quod in capite Mipacara, id est iuuenca dicto, ludæos & Christianos saluē consecuturos esse dixerit: in capite uero Amram, contrā asserit, neminem sine Ismaelitarum lege seruari posse.
- 10 Quod ante ipsum nemo possit paradysum ingredi. Et rursus dicit, quod Deus illi multas mulieres uirosq; ante se paradysum ingressos ostenderit.
- 11 Quod Deus post resurrectionē domus elegantes, balnea & hortos, pluresq; mulieres se daturum promittat Mahometicæ legis sectatoribus.
- 12 Quod in capite Sad, angelos ex igne, homines uero ex puluere factos esse affirmet.
- 13 Quod in capite Emele, quod muscam significat, de Solomone et muscis mendacium prodat stolidum, quod & fatetur.
- 14 Quod in capite Rubeso, de Solomone & uerme tradat, superiori mendacio simillima.
- 15 Quod in libro Enarrationum, causam ponit, cur illis uino interdictum sit.
- 16 Quod cœlum hoc creatum, ex fumo factum sit: mare autem, ex monte quodam Caph nominato.
- 17 Quod solem, lunam, lūmine & uirtute æquales esse dicat.
- 18 Quod à Gabriele, ut cœlum ascenderet, uocatus, ex Dei manu sibi imposita tantam frigoris uim senserit, ut quæ ad medullam dorsī usque penetraverit.
- 19 Quod in capite Sad tradat, dæmones cum angeli essent, à Deo ut Adamum adorarent esse constitutos: cumq; hoc aliorum angelorum more facere noluerint, propterea dæmones esse factos.
- 20 Causam tradit, propter quam suillis carnibus interdictum sit.
- 21 Quod Deus in fine mundi omne hominum & angelorum genus occisurus sit.
- 22 Quod librum conscripserit, duodecim millia sermonum continentem: quibus mille quidem ueri sint, cæteri autem falsi.
- 23 Quod in capite Cerama dicat, se lunam in duas partes dissecuisse, quarum altera quidem in tunicam illius, altera uero in terram deciderit: deinde uero integram rursus restituisse.
- 24 Quod Deus & angeli pro Mahomete orent.
- 25 Quod in capite Helmaida, quod si interpreteris, mensam significat, affirmet, Hebræos & Christianos non esse filios Dei, nec amicos eius, eo quod affligantur.

ORATIONIS III. CAPITA.

- 1 **Q**uod impossibile sit Deum habere filium, sine muliere.
- 2 Quod si filium Deus habuerit, erit inter utrosq; dissidium.
- 3 Quod in capitulo Elnesa, quod mulieres significat, dicat, Christum esse uerbum Dei, animam Dei, & spiritum Dei.
- 4 Quod Christum ex uirgine citra uirilem operam genitum esse testetur.
- 5 Quod neget Christum & Deum esse & Dei filium, illius etiam incarnationem. Eundem uero nudum tantūmodo, ut Nestorius, hominem uocat: sanctum uero, & cunctis hominibus excellentiorem.
- 6 Non Christum, sed alium loco illius crucifixum esse.

Quod

Quod Deus Christum ad se in coelos uocauerit, hunc autem in fine mundi uenturum esse, & Antichristum occisurum, quo facto & ipse Christus moriturus sit.

Christianos Deiparam uirginem in Deos retulisse, eamque sororem esse Moysi & Aaronis.

ORATIONIS IIII. CAPITA.

Quod in coelos surreptus Mahomet, coram Deo steterit, & audiuerit uaria, rursumque in terram delatus sit.

Demonones etiam salutem esse consecuturos.

Alcorani interpretationem neminem intelligere; nec ipsum quidem Mahometem, sed solum Deum.

IN MAHOMETEM ORATIO

PRIMA.



QUIS QVIS alteri contradicere proposuit, scopum unum prefixum habet, ut sua quidem confirmet, & obiecta destruat. Quandoquidem ergo de fide in Christum sufficienter disseruimus, & quam rectissime, ut mihi simul & ueritati uideatur, consili agendum sancto spiritui, ab illis quidem contempto, a nobis autem honorato, uideamus quae nam sint uerba illa, quae contra Deum & ueritatem euomuit perditionis filius Mahomet: non obliuimur interim huius, quod supra diximus, non scilicet nostri instituti esse, ut in uniuersum omnia quae a Mahomete absurde instituta sunt redarguamus, sed ea tantum refutabimus, quae blasphema in Christum & illius in carne conuersationem impie & imprudenter quidam infremuerunt. Erne ceu infirmiores certamen detrectare uideamur, nunc illud Deo auxiliante subibimus, ut in utilitatem quarentium se ueritas eluceat.

Regnante Heraclio Romanorum rege, homo fuit perniciosus & uersutus, quos quidem suum posuit in coelum, & contra altissimum iniqua locutus est, lingua autem illius transiit in terram: quem sane non errauerit quisquam *psalm. 72* piam, ut mihi uidetur, si diaboli primogenitum & filium perditionis patremque simul & filium mendacii uocauerit: nomen illi Mahomet, Arabs natione, peruersus ingenio, & animo peruersior. Hic haereticis quibusdam conuersatus, & ab iisdem institutus, semen excepit, quod in docentis & edocti cordibus arauerat & seminabat zizaniarum seminator, & spinas tribulosque protulit centuplo plures. Omnem enim ferè haeresim in unum colligens, & hac cum sui ingenij figmentis permixta, mixturam ex his fecit unam, animarum uenenam scilicet. Deinde aliquos nactus homines quidem nomine, re ipsa autem a pecudibus nihil differentes, in illos uirus impietatis suae euomuit: homines nimirum pastores, penes quos non aliud quam perpetuam cum pecudibus conuersationem deprehenderat. Vnde enim in his esset uera ratio: ubi doctrina: ubi lectio: Neque enim, si quid ex his omnibus esset, iudicare poterat, sed instar ferarum agrestes, immixtae in montibus & inter greges uersabantur: quos sane si quis definiuerit, animalia esse sermone praedita, non rationalia, mortalia, mente & omni scientia destituta, nequaquam a uero aberrauerit. Quid enim deterius est homine, qui ratione & eruditione destitutus est: Verumtamen cum nec pessimus quisque omni bono in uniuersum careat, h nihil